

Trium antiquissimorum  
**P O L O N I A E**  
*DUCUM*

LECHI II. LESCI II. & POPIELI II.

*Fata Finalia,*

partim Historicis, partim Moralibus, Discursibus  
 interpolata;

*P R A E S I D E*

**M. GEORGIO WENDIO,**

Gymnasii Thorun. Rectore & Prof. Publ.

*ad conferendum proposita*

*ab*

*Henrico Laurentio de Grell,*

Nob. Pomerano,

*Symbolam suam conferentibus:*

SIGISMUNDO Bersewizi, Nobili Hungaro,

LEVINO FRIDERICO de Hahn, Nobili Curlando,

PAULO OTTLIK de Ozor, Nobili Hung.

H. L. Q. S. a. d. 2. Decembr. A. O. R. M. DC. IC.

**T H O R U N I I**

Impress. in Nobiliss. Senatus Chalcographeo.

VIR O  
GENERO SO & STRENUO  
DOMINO  
DN. PETRO ADAMO de GRELL,  
Judiciorum Capitanealium,  
*Castrensem, Leoburgensem atque Bülowensem*  
*in Pomerania Assessori gravissimo,*  
Parenti suo, filiali Cultu æternum prosequendo,  
PRIMITIAS HASCE  
GYMNASTICORUM SPECIMINUM  
submissa Pietate dicare voluit]

E XVII 352  
E. XXXII 335

*Filius obsequentissimus*  
Henr. Laurentius de Grell.

*Fat a Finalia,*  
è Theodori Zawacki Rogalæ, Eqv. Poloni,  
Catalogo Ducum & Regum Poloniæ  
transcripta.

I. *Fatum Lechi. II.*

Cum Lechi, Craci F. fratricidium esset detestatum, universo populo exosus erat; ob quod scelus dolore contabuit, vel, ut alii scribunt, in exilium missus fuit.

I. *Notulae*

I. Circa Genus Mortis differunt Historici. Plerique adstruunt, Lechum, principatu perturbatum, in triste exilium detrusum fuisse. ita enim Joh. Dlugossius Tom. I. Hist. Pol. lib. 1. p. 53. Tantum odium Procerum Poloniæ in eum ob impium scelus & immeritam fratri necem conflatum est, ut illum à sede principatus dejicerent, & perpetui exilii poena in detestationem & terrorem facinoris per eum admissi mulctarent. Sunt tamen etiam, ( nescio, qui ? utpote nec à Dlugosso, nec à Cromero, nec ab alijs nominetenus allegati, ) qui tradunt, Lechum neque Exilio, neque alia poena, perpetrato fratricidio, punitum fuisse, sed divinitatem, omnium injuriarum ultricem, prolis fecunditatem illi & subditorum charitatem ac benevolentiam ademisse. Hinc conscientum in fratrem necis & Polonorū justis odiis vexatum, moerore & anxietate contabuisse, ac nullo memorando edito actu ( domi ) è vita inglorium & detestandum excessisse. Stanislaus Sarnicus utrumque conjungens, libr. 4. Annal. Pol. p. 179. ita memoriæ prodit : Detecto sceleto, Lechus regno perturbatus & in exilium missus, tandem intus pavore, foris sollicitudine eum excruciantे, paulatim contabuisse fertur. ( NB. Media sententia videtur probabilissima. Per eam enim vis populari in Ducem nulla infertur, &, quæ Lechum frangere debebat poena, Nemesis divinæ relinquitur. Attamen quis certa in incertis determinaverit ?

II. In Causa Mortis omnes conveniunt. Quod enim is, impotenti dominandi libidine correptus, fratrem natu majorem, Cracum, cui de jure principatus debebatur, clandestinis artibus sustulit, atque, ne

scelus proderetur, (Dlugoff. l. c. autore) jamjam Venationi operam dantem, & in belluam audacius paulo grassantem, interisse prodidit, hoc ipsum est, quod, increbescente ea de re fama, & populum universum adversus eundem irritavit, & parricidæ conscientiam tantisper vellicavit, dum moerore & pudore fractus desperabundam exhalaret animam.

### II. Observatio

I. Historica. Parallelæ hujus Casus exempla passim prosternuntur. (Zwing. in Theatro Vit. human.) E domesticis hic pertinet Boleslaus III. Rex, qui simili moerore, dissimilem tamen ob causam, nempe propter cladem Russicam, contabuisse fertur.

2. Moralis. (1.) Etiam in Principes tandem Nemesis divisa excedens. (2.) Qui fratrem injuste lædit, coelum ipsum adversum se armat. Hinc belle Sarnicius l. c. DEus justissimus parricidii judex tantum scelus de Lecho non tulit, sed quo longiores ei ferias indulxit, eo magis tarditatem gravitate penæ compensavit, ut diutius cum suis ærumnis luctando, gravius torqueretur, lenta morte eum excarnificando.

### II. Fatum Lesci II. Ducis Pol.

Lescus (ut quidam volunt) interfectus est in prælio, quod ipse, vicinis suis Hungaris ac Sclavis ferens auxilium, contra Carolum M. Imperat. gesit, circiter annum Christi 805.

#### I. Notulae.

I. Circa Lesci II. fatum itidem Autores nonnihil variant. (1.) Martinus Gallus (apud Dlugoff. l. c. p. 63.) opinatur, eum in conflictu cum Carolo M. Imp. inito victum & occisum fuisse, apud Dlugossum ita commemorans: A. 805. Imp. Carolus misit Carolum, filium suum, in Poloniam, qui, depopulatis omnibus, Ducem terræ illius, Lesskonem, occidit, indeque reversus ad Patrem eum in sylva Woszego venatui studentem invenit. (2.) Dlugossum ex adverso l. c. Michovia. l. 1. Chron. Pol. c. 8. Gvagninus in Chron. Polon. p. 344. aliique referunt, eundem, cum victoriōse & feliciter satis imperasset, longævo senio confectum, ad maturam ætatem pervenientem, vita exterriti-

cessisse. (3.) Cromer I. 2. Chron. p. 24. & cum eo Neugebauer I. 2. Hist. Pol. p. 45. inter incerta mortem ejus recententes, ita scriptum reliquerunt: quomodo Vita defunctus sit, itidem atque alia illius temporis, non liquet. Quod & Dlugoffus tandem non diffiteri videtur, cum disiunctive, sive naturali, sive violentam morte decedentem, unicum filium sui nominis hæredem reliquisse meminit.

II. *Judicium.* Tutissimum quidem est, in incerto relinquere hoc dubium; interim si conjecturis niti liceat, dixerim, (1.) Martinum Gallum ad probandam hanc Lesci cladem minus sufficientem testem esse. Cum enim Eginhartus, Caroli M. Cancellarius, rerumque ista ætate gestarum multo scientissimus, neque in bello Hungarico, neque in Bohemico & Livonico, quorum utrumque ille in Vita Caroli describit, vel minimum quicquam de hac nece commemoret, impertinens forsitan fuerit, externo illi ac rerum Sarmaticarum ignaro testi fidem habere. (2.) Conflictus quoque nullus inter Carolum & Polonus (Bohemorum forte socios) intercessit. Eginhartus scribit, bellum istud celeri fine completum esse. Blondus autor est, Carolum dicto bello Poloniae quidem fines depopulatum, cum incolis vero congressum non fuisset, verum repressis modo hostibus cito (inglorium) ad Patrem revertisse. Confer. Cromer I. c. & Sainic. I. 5. Annal. Pol. p. 195. (3.) suspectum est, quod M. Gallus & H. Mutius *Lechonem*, Regino *Letzonem*, Blondus & Sabellicus (Ennead. 8. libr. 9. fol. 64.) *Leonem* quendam, Bohemiæ Ducem, (non *Lescum* aut *Lesconem*, Poloniæ Ducem) in bello isto interfectum perhibent. Nisi enim nominis est error, (qui tamen etiam ignorantiam in rebus Sarmaticis subinnuit,) incassum ista omnia memorantur. Lecho nempe jampridem, antequam Carolus M. rerum potiretur, (uti supra monitum) contabuit: per consequens neque hic ab illo in Saxonia turbari, neque ille ab hoc vel ejus F. in Polonia debellari aut jugulari potuit. (4.) Quodsi demum indulgenda est Lesci internecio, dicendum, factam esse eam non in bello illo sociali, quo (ut cum aliis sentit Zawacki) Hungaris & Sclavis auxilio fuit aliquoties, verum in bello adversum Bohemos aut suam gentem. Illuc nimis Pater Carolus paulo ante, quam imperatorum axioma consequeretur, h. e. A. 791. Avates s. Hunnos; hic Filius Bohemos & Polonus, (A. 805.) & hos quidem vel propter latam antea vicinis Sclavis opem, vel propter infestatam, ut vult Blondus, Saxoniam, bello petiit.

## II. Observatio

I. *Historica.* Si verum est, Lescum occubuisse in acie, parem is in Polonia habuit Lescum album & Vladislaum III. Jagellonidem, quorumuterque fortissime pugnans in prælio extinctus est: extra Patriam, innumeros.

II. *Moralis.* Qui præclare de Patria meriti sunt, clari sunt, etiam si non sint clari. ( Exempli loco stat Lescus II. & nonnulli ejusdem successores, quorum facta propemodum tenebris involuta jacent. In promptu causa est. Polonis antiquissimis non suppetebant eruditi, qui res ipsorum præclare gestas in Annalium Monumentis consignatas relinquerent. Erant omnino, erant, qui scribenda faciebant, sed non erant, qui facta scribebant. Lescus tamen II. nihilominus erat clarus. Insignis illa in re militari peritia, & simulacra conflictum, qui in campo Martio accidere solent, tantopere Bohemis eum & mox Saxonibus commendabant, ut illi quidem admirarentur, hi inviderent; exterri vero Scriptores bellica ista Exercitia suo stylo describerent. Verbo: Lescus II. fatus erat clarus, quanquam obscurus in Annalibus. Sarnic. l. c. p. 194. )

## III. Fatum Popielii II. Tyranni.

Ob hoc scelus (quod Patrios ad convivium invitatos suos uxoris veneno necavit, ) permisso deorum à muribus, ex corporibus patruorum prodeuntibus, una cum uxore & liberis Cruxvitæ est disceptus.

## I. Notulae.

I. Genus Mortis insolitum, indubitatum tamen, est. Omnes Poloni Scriptores uno velut ore testantur, contra vim rabientium murium nihil profecisse satellitum abigentium præsidia, nihil obstitisse focos ardentes, nihil profuisse claustra in undis posita; divina quin ultione sic urgente, fugientem Ducem quoquaversus seculos esse mures per aquam & flamnam, ac primo quidem geminos ejusdem filios, mox Conjugem, tandem & Popielum ipsum, miserandum in modum corrosos, lacerasse ac devorasse. Vid. præ ceteris Dlugoff. l. c. p. 73. seq. Circa Personam vero errant nonnulli, Dubravius libr. 15. Hist. Bohem.

ad

ad Mesconem ista applicans, p. 124. ita scribit: Inter fortuita (Anni 1230.) numerabatur *Mesconis*, principis in Polonia, miserabilis interitus. à muribus namque soricibusque &c. misere artosus & absimptus est. Alii rursum Mieclauum s. Mieslaum, Cunradi, Ducis Masoviæ F. dicta ratione periisse perhibent. At quis credat, unicum Dubravum cunctis Sarmaticis Scriptoribus præjudicare posse?

II. *Causa proxima* inauditi hujus supplicii non fuit alia, quam nefandum Tyranni parricidium. Ideo nempe, quod XX. innocentium patruorum necem in his terris ulcisci nemo poterat, (vel etiam debebat,) coelum ipsum adversus nefarium huncce parricidam tanto-pere excandescebat, ut murium quoque exercitu uteretur ad extirpandam hanc scelestam progeniem. *Remotam vero causam* haut abs re in Patre ipsius, Popielo l. quærimus. Quod enim hic ex temeritate quādam sibi suisque imprecari multoties consvererat, in Filio cheu! justo DEI (non deorum) judicio adimpletum tandem est.

## II. *Observatio*

I. *Historica.* Parallela hujus Muricidii exempla (*inter illustres*) vix suppetunt. Quod enim de Hattonē II. Archiepiscopo Mogunt. ē Joh. Trithemii Chron. Monast. Hirsaugiensis p. 44. vulgo circumfertur, tum ab ipso Historico, tum à Nicol. Serario, inter fabulas refertur. Prioris judicium de hac traditione tale est: *Huic nos fabulæ autoritatem nec damus, nec rursus subtrahimus;* quam usque in hodiernum diem & à *Veteribus* descriptam legimus, & ab incolis terræ, ut à *proavis* perceptam auditu, ad nepotes referre non ignoramus. Posterioris rationes prostant libr. 4. Rer. Mogunt. c. 4. p. 696. ad quas B. Lectorem remittimus. Si dein vera sunt, quæ Bernh. Herzog in Chron. Alsatiae l. 4. fol. 75. de Argentoratensi Episcopo, Wilderolpho, tradit, atque ē Jacobi de Königshofen Chron. corroborat, parallelum iste, sed unicum, hujus Calus subministrat exemplum. NB. Privata illa, à L. Beyerlinck in Theatr. Vit. human. Tom. II. p. 486. & Tom. IV. p. 97. adducta paradigmata, huc non quadrant. Circa *illustrium* namque, non *privatorum*, fata in præsens sumus occupati.

## II. *Moralis.*

(1.) *Imprecationes* nonnunquam permittente DEO suum, ut conceptæ sunt, fortiuntur exitum. Zwinger. Volum. I. Theat. V. H. libr.

lib. 2. p. 186. seqq. Documenti loco est præsens Popielii II. datum. Ni-  
si enim potervus Parens, Popielius I. confirmatus dicta sua in ore fre-  
quenter habuisset sordidum istud adagium: *nisi hoc sit, quod scil. affir-  
mabat Parens, à muribus deverbatur, atrocissimo quidem citra dubium,*  
alio tamen forsitan, ac *muriū supplicii*, genere ad inferos detrusus fuis-  
set Filius. In *latrina* quoque Effurti suffocabatur Henricus, Comes  
Schwarzburgicus. Ratio: infrunita hac jurandi formula: *si hac fe-  
cero vel dixero, submergar in latrina, poenam hanc sibi acceleraverat.*  
Abbas Stad. in Chronic. p. 197. b. Quocirca aut abstinentiam, aut con-  
tra præfractos solummodo hostes utendum ejusmodi formulis.

(2.) *Conjugum Consilia* non semper sunt ratihabenda. Quod-  
si h. I. Popielus, post eum Mieczislaus II. Rex Polon. Vladislaus II.  
Ethnarcha Pol. aliquique, uxoribus suis tam vacivas non præbuissent au-  
res, in tanta, quanta post subierunt, non incidissent pericula.

---

*Corollaria*  
*è Prælectionibus Politicis.*

1. Q. An summa Potestas etiamnum sit summa,  
cum penes plures divisim esse dicitur? A.
  2. An Majestas sit soluta Legibus? A. dist.
  3. Bonæ Legis forma in Ennomia s. conformitate  
cum recta ratione, consistit.
- 

*Generosi Sangvinis & animi Juveni, HENRICO LAUR.*

*de GRELL, Eq. Pomerano,*

*Auditori suo, tum ob Morum, tum ob diligentiae,  
studium sibi perquam grato,*

*De Trium Polonia DUCUM sinistris Fatis disputaturo,  
FELICITER!*

*Tute quidem Lechidarum tristia Fata recenses;  
st ego, Grelle, tibi mitia fata precor.*

M. G. Wendius. Rector.

